

rem per habitum animi suum cuique trahiendi posteriorem per nudam actionis cum lege conuenientiam definiunt. Enim uero, et si haec formam habet, iustitiae, et similitudinem, vera tamen iustitia non est; quod talis autem esse iudicetur, inde euenit, quia homo aliorum hominum mentes nequit penitus intropiscere. Ceterum duplex haec personae et actionis consideratio non tam iustitiae propria est, quam reliquis etiam virtutibus communis, siquidem actiones piae, honestae et aquae nunc a proposito voluntatis, nunc ab alia quoque causa proficiunt.

CLXIX. Quemadmodum bona et recta non aliter est actio, quam si in singulis suis partibus consentit cum lege, ita *virum bonum* esse illum tantum dicimus, qui pietate, iustitia, aequitate, honestate et decentia est imbutus, *iustum* vero in sensu latissimo, qui nullis adhuc foedatus est vitiis contrariis. Quum autem haec vitia primum actionibus nostris liberis adsciscantur, nemo a sola natura virtiosus, foedusque esse intelligitur, sed demum accedente quodam facto; hinc quilibet homo etiam eo iure connato gaudet, ut iustus amplissima significatione esse iudicetur, donec ex turpibus factis de ipsis malitia et vitijsitate constiterit.

## CAPVT V.

*De varia actionum moralitate, imputacione,  
ac conscientia.*

CLXX. Actiones humanae non modo ratione subiecti, in quo versantur, a se inuicem discrepant, sed etiam a quantitate bonitatis vel malitiae moralis accipiunt discrimen.

CLXXI. Scilicet conuenientia actionum libera-  
rum cum lege illarum rectitudinem, repugnantia vero  
peccatum constituit; sed legis robur ex obligationis  
quantitate, haec vero ex momenti cum actione copulati

pon-

pondere et viribus aestimatur; satis itaque liquet, nunc maiores nunc minores leges a nobis posse custodiri, aut violari, et porro tam peccata, quam recte facta, disparsia aliquando esse oportere.

CLXXII. Sed neque actionum bonitas, vel malitia moralis aliter intelligitur; quam si eadem ab agendis libertate veluti effectus a suo principio et causa proficiuntur; quum igitur quantitas causae quantitatem effectus necessario determinet, et libertas, quae arbitrio et ratione agentis constat, iam diminui, iamque augeri pro re nata possit: manifesto apparet, varios quoque, et multiplices esse debere libertatis effectus; dari porro mortalitatis quantitatem, atque hinc liberas actiones bonas, vel malas, alias aliis honestiores fieri, vel turpiores.

CLXXIII. Itaque in quantitatem moralitatis inquisiturus, actionem liberam ad *arbitrium* et *rationem* agentis, quasi ad pondera, atque mensuram exigere debet, illamque eo meliorem, vel peiorem iudicare: I. quo magis quis sponte sua egit, II. quo plures habuit in sua potestate actionum determinandi modos, III. quo grauiora denique agendi, vel non agendi momenta perspicere potuit. Contra tanto magis honestati, vel turpitudini actionis decidere tenendum est, quanto minus id, quod factum est, vel *spontaneum*, vel fortuitum, seu *contingens*, vel rationi peruum, seu *intelligibile* fuisse reperitur.

CLXXIV. Actio, vel praetermissio libera singularis, quae scilicet persona, loco, tempore, ceterisque adiunctis circumscripsa est, factum strictiore significazione nuncupatur; causa efficiens libera facti est auctor, qui vero auctorem facti declarat, imputare dicitur. Itaque *imputatio* iudicium est, quo quis actionis, vel praetermissionis singularis auctor, seu causa efficiens libera esse affirmatur.

CLXXV. Quum autem nulla existere actio moralis, aut factum possit, ad quod non aliquae pertineant  
mo-

morales consecutiones, praemia nimirum vel poenae, sive merita generatim dicta: consequens est, ut auctor facti, etiam causa libera moralium conjectariorum; seu meritorum declarandus sit. Quare distinctam dant imputationis notionem ii, qui illam dicunt: *iudicium, quo factum aliquod, et eius conjectaria seu merita libero alicuius arbitrio assignantur.*

CLXXVI. Quoniam vero ex connexione momentorum cum actionibus obligationes emergunt et leges, nemo non videt, eum, qui imputationem facit, primo examinare, et tribuere alicui factum, dein animum ad facti conjectaria, seu obligationem et legem reflextare, postea iudicium, quo auctor sanctioni legis subiiciatur, elicere oportere, atque idcirco imputationem alii in applicatione legis ad factum, alii in iudicio discursuo, seu ratiocinio de mortalitate actionis singulis colocarunt.

CLXXVII. Inter actus, ex quibus constat imputatio, unus est, quo factum, alter, quo facti merita auctori assignantur; priorem actum imputationem facti, posteriorem imputationem iuris nuncupant; atque inde collidunt, in quo quis iudicio imputatorio tres cogitatione saltem discerni posse personas, unam, quae imputet factum, alteram, quae imputet ius, tertiam, cui et factum et ius imputetur; quia tamen nemini ius imputari sine facto potest, non obscurum est, imputationem facti, et imputationem iuris non esse imputationis formas, sed tanquam partes ad unam plenam integrantem imputationem pertinere.

CLXXVIII. Nititur itaque omnis imputatio iudicio discursuo, seu ratiocinio; quod cum verum esse possit, vel falsum, consequens est, imputationem in veram seu rectam, et falsam, seu errantem non inepte distribui. Quare vera erit restaque imputatio, si nec in idea facti, nec in idea legis, nec in virisq[ue] inter se copulatione vlla occurrat repugnantia. Contra fallaciam

ciam instituunt in imputando, qui vel factō, vel legē,  
vel facti ad legem adapplicatione aberrant.

**CLXXIX.** Prout dein facti et iuris cognitio ex ratione sufficiente arcessitur, etiam imputatio *certa* alia est, alia autem *incerta*: quae posterior, si ad veritatem accedit magis, quam recedat, verosimilis dicitur et *probabilis*, si autem et falsitatem propendeat magis, quam ad veritatem, quamvis penitus conuelli, et inter apertos errores referri non possit, tamen *improbabilis*, nec similis vero nuncupatur: atque ex his consequitur, ut primo, quo plures vel pauciores veritatis occurruunt notae, eo *probabilior*, vel *improbabilior*, fiat imputatio, dein ut tamdiu *dubia* haec habere debeat atque suspensa, quamdiu rationes auctorem facti et conjectariorum affirmandi, vel negandi sunt aequales.

**CLXXV.** Nunc quid imputationi subiectum sit, quidue obiectum, et quodnam illa habeat fundatum, haud difficulter perspicitur. Primo enim imputatio iis tantum fieri potest, qui agendi libertate sunt instructi; dein in omnibus versatur actionibus, quae aliquam habent mortalitatem: et denum a quadam semper pendet obligatione et lege, quibus actio imputanda comprehendatur: quare, quae a nonnullis statuitur, imputatio physica a recepto loquendi vſu penitus abhorret.

**CLXXXI.** Quae hactenus de actione auctori imputanda generatim diximus, ea ad quamlibet causam liberam efficientem, seu ad omne auctoris genus applicanda sunt. Est autem hoc duplex, quidam enim sua tantum vi agunt, et dicuntur causae actionis *univiae*, seu *solitariae*; quidam autem alteri agenti vires suas accommodant, et sunt causae auxiliatrices, seu *sociae*. Quum vero quae *sociae* sunt causae, non eadem semper sese exserant efficacia, nouae etiam illarum nascuntur formae: quae enim pari vi operantur, *aequales*, secus *inaequales*; dein quae plus ad factum conferunt, *praecipuae*, quae minus, *administræ* tum

tum quae ita actionem antecedit, ut nulla alia interiecta sit, proxima, ceterae remotae; denique, quae effectum per se producunt, immediatae, quae per aliud effectui tribuunt existentiam, mediatae nominantur.

**CLXXXII.** Ad causas mediatas seu morales in specie dictas ii porro accensentur, a quorum libertate actionem ab altero patrari, vel non patrasi quodammodo pendebat, quod quidem quatuor contingere modis potest. I. Si nimis quis actionis *ideam* sermone, exemplo, aut consilio alteri producat, II. Si illius *voluntatem* imperio, precibus, minis, palpatione ad agendum permoueat, sollicitet, instiget, exhortetur; aut faltem agere volentem idem se velle declarando, seu adiecto consensu, confirmet. III. Si actionis suscipienda, vel occultandae locum, tempus, modum, aliae idonea suppeditet *remedia*. Si demum IV. actionem molienti non inferat, cum posset, vel verbis vel factis *impedimentum*. Hos enim cunctos influxisse in actionem, ejusque esse participes, atque consortes manifestum est.

**CLXXXIII.** Quum obiectum, seu materia, in qua versatur imputatio, sint tantum actiones morales, seu liberae, morales autem dici nequeant, nisi sint spontaneae, contingentes, et ab homine rationis compote susceptae: consequens est, ut mutationes, quae sine spontaneitate, contingentia, et intelligentia in nobis existunt, imputationem non admittant, et hinc ut ex defectu SPONTANEITATIS, nec I. facta vnicet ab altero producta, nec II. nudas perpessiones, nec III. actiones, ut quidam vocant, simpliciter coactas, nec IV. casus fortuitos, seu euentus ex *fortuna*, hoc est, ex improviso, aut faltem ineuitabili causarum nexu emergentes, nobis in praemium, aut in poenam imputari oporteat.

**CLXXXIV.** Et quia actiones vel simpliciter necessariae, vel simpliciter impossibilis carent **CONTINGENTIA**, aperte colligitur, neminem eorum declara-

rari auctorem posse, quae vel in ipso sunt necessitate intestina, vel facere is praetermitit, quoties nulla reperitur agendi occasio, aut imbecillitas naturalis, quam scilicet superare non est in nostra potestate possum, obsslit: si enim vires suas quis libere detinerit, sibi que ademerit potentiam agendi, quin ejusmodi praetermissiones ad illius referantur libertatem, et porro ei imputentur, non est dubitandum.

**CLXXXV.** Denique ex defectu INTELLIGENTIAE I. actiones, quas quis in statu morali imperfecto veluti furore, infantia, dementia patrauit, respuunt imputationem. II. Quod ipsum de illis mutationibus dicendum est, quae, vel ex insuperabili iuris, aut facti ignorantia, vel III. ex summa ebrietate inuoluntaria, vel ex dormientis phantasmatu seu somnio, seclusa ratiocinandi facultate, obueniunt: vbi vero veritatem magis perspicere, et a noxio patu sibi cauere, aut imagines in dormiendo reproductas non copulare, a libero agentis pendebat arbitrio, adest iam moralis actionum causa, cui Morales etiam effectus assignandi sunt.

**CLXXXVI.** Visa hactenus imputationis materia sequitur, ut etiam de ejusdem quantitate differamus; causa nimirum et fundatum, ob quod imputari facta possunt, est eorum moralitas, quae ipsa in prouentu actionum a libertate collocatur, quia vero ex quantitate causae quantitatem effectus oportet dimetiri, palam est mensuram imputationis in magnitudine, et gradu moralitatis adeoque et libertatis contineri, vnde consequitur, vt eo magis minusue quis sit actionis auctor, et hinc eo maiore vel minore praemio, aut poena dignus iudicandus, quo ampliore et angustiore arbitrio et ratione in agendo est potitus.

**CLXXXVII.** Arbitrium vi quadam efficiente interna sese exserere supra est ostensum, quum autem haec interna vis eo major esse debeat, quo plura inuestiganda sunt agendi remedia, aut tollenda impedimenta:

con-

consequens est, ut actiones faciles, et ad quas commoda, atque idonea se praebet occasio, minus imputandae sint, quam difficiles, quaeque non antea patrantur, quam occasione circumspecta. Et quia extrinseci euentus ac circumstantiae, quae nos ad aliquid faciendum vel non faciendum hortantur, partem occasionis constituunt, illud etiam conficitur, eo minus imputari factum vel non factum, quo plures existentur huiusmodi extrinsecae stimulantes causae, et contra tanto magis viriusque imputationem angeri, quo fortiora praesto fuerant momenta, quae impellebant auctorem ut ageret potius contrarium.

**CLXXXVIII.** Ex eodem principio colligimus, cur actiones vtroneae, lubentes ex voluptate atque extra statum collisionis susceptae magis imputentur, quam actiones inuitae, sive secundum quid coactae, et quae vel ex aegritudine vel obueniente collisionis statu perpetrantur, nec minus, cur qui iniuste agit maiore onus sit imputationi, quam qui agit inique. Praeterquam quod enim facilius sit non nocere, quam prodesse aliis, laedens etiam ius cogendi tribuit laeso adeoque maiora superat impedimenta, quam alter, a quo officia imperfecta vi non possunt extorqueri.

**CLVXXIX.** Quoniam vero causa remota se ipsam ad agendum determinat, causa autem proxima ab altera ad agendum excitatur, in promptu est: illius actionem rigidius, quam huius esse expendendam; vnde etiam intelligitur, causam praecipuam maiori subesse imputationi, quam causam subiectam, et hinc ei, qui aliquid iuber fieri, vel requisitus consentit, ut fiat, grauiores assignandas esse consecutiones, quam illis, qui iubentis et volentis negotium vnice expedient, silent, adsentantur.

**CXC.** Quomodo imputationis quantitas ex sponte neitatis, et contingentiae, seu arbitrii gradu cognoscatur, satis dictum est, sequitur, ut merita ac demerita etiam rationis vi et magnitudine deinceps ponderemus.

Pendet autem ratio ab attentionis, reflexionis, et intelligentiae facultatibus; atque eius robur idearum distinctarum numero, claritate, et facilitate aestimatur; ex quo consequitur, ut quo magis quis cogitationem in factum defixit, quo plures eius partes videntur, quo distinctius totam eius essentiam perlustravit, quo ampliora denique ac fortiora agendi, vel non agendi momenta ex ipsa actionis idea perspexit, eo maius etiam praeium vel poena ipsi debeatur; sane ut pro momentorum copia multiplicatur obligatio, ita et obligationis incremento moralitas intenditur, quin igitur etiam imputatio iisdem progressionibus augeatur, frustra est dubitare.

**CXCI.** Nulla actio moralis est minus recta, nisi superabili intellectus aut voluntatis vitio laboret, quod generali culpe, aut *Reatus* denominatione continetur. Speciatim vero reatus, qui versatur in intellectu, cuius nimirum agens in agendo sibi non est conscientis, *Culpa* est stricte dicta, qui autem versatur in voluntate, adeoque ab agente cognoscitur, dolus simpliciter aut *Dolus malus* nuncupatur: atque ex his apparet, actiones culposas, quae scilicet ex errore, aut ignorantia superabili patrantur, minus esse in agentem conferendas, quam dolosas, quae ab homine sciente et volente contra legem sunt suscepctae.

**CXCII.** Qui rationes secum subducit, an vel *quomodo* agere vel non agere oporteat, *deliberare* dicitur, qui vero instituta deliberatione hoc vel illud factum praecoptat, is *decernit*: actus voluntatis, quo decreti executione determinatur, proaeresis seu *propositum* audit, utriusque autem tam decreto, quam proposito cohaeret *intentio* siue *volitio* finis: itaque luculentum est, actionem deliberatam magis imputandam esse, quam non deliberatam, ex deliberatis vero illam, cui liberius decretum: *propositum*, atque *intentio* accesserint.

**CXCIII.** Plures autem faciunt intentionis formas; quae enim finem spectat, propter quem solum causa eff.

efficiens ageret, *primaria*, secus *secundaria* nominatur. Porro intentionem *directam* vocant; qua id intenditur propter quod agens agit *indirectam* vero, qua quidem agens per se non vult, quod ex actione ipsius sequitur, quod tamen perinde ac id, quod vult, ex eadem sequi potest. Denique ab intentione factum illicitum praecedente *dolum ex proposito*, ab ea autem, quae huiusmodi factum consequitur, et adprobat, *dolum ex re* ducunt, atque ex his consciunt, ut intentione primaria, directa, et dolus ex proposito, quia maiori contingentia eliciuntur, ac intelligentia, grauiorem quoque aestimationem recipient, quam caeterae formae contrariae.

CXCV. *Vsus remediorum et facultatum nostrorum ad finem bonum obtinendum idoneus diligentia nominatur*; cui opponitur tum *negligentia*, sive omissione diligentiae, quam quis obligatur adhibere, tum *vsus remediorum*, et *facultatum nostrarum* legi contrarius, seu earundem *abusus*. Quoniam plurimi concipi possunt remedia ad finem sufficientia, nemo negauerit, in numeros quoque dari posse diligentiae et negligentiae gradus, et propterea harum imputationum summopere variari oportere. Caeterum negligentia prout vel in intellectu deprehenditur, vel in voluntate, ad actiones vel culposas, vel dolosas pertinet, et hinc iam minore iam maiore poenna diga est.

CXCV. Quemadmodum infantia, dementia et furor arcent *vsum rationis*, et ab omni imputatione liberant, ita aetas nondum satis matura, aut crassiore educatione mentis valde perstringunt oculos, fanguinis autem temperatio atque affectus deliberandi facultatem extenuant; quare etsi facta in tali statu patrata non careant moralitate, ea tamen tanta non est, quanta foret, si illi idem agerent, quibus nulla huiusmodi impedimenta obstant. Falsum itaque is faceret iudicium, qui huiusmodi actiones physice quidem aequales, sed moraliter discrepantes aequa lance suspenderet.

**CXCVI.** *Actio*, quae in plures alias diuidi potest, *composita*, quae non potest, *simplex* appellatur; constat itaque *actio libera composita* ex pluribus liberis simplicibus, quarum singulae ab arbitrio pendent, et ratione, ut porro, si omnes in unam quasi iungantur, arbitrii et rationis quantitatem crescere necesse fit. Quoniam vero ex magnitudine libertatis quantitas moralitatis, et imputationis aestimatur, non obscurum est, actionem *compositam* magis laudandam esse, vel *culpandam*, quam actionem *simplicem*; inter plures *compositas* vero illam caeteris merito praeponderare, quam maior numerus simplicium coalescit.

**CXCVII.** Forum morale potestatem actiones imputandi designat, quae si de Deo enuntietur, forum *diuinum*, si de homine, forum *humanum* constituit; forum diuinum etiam forum *poli*, seu *internum*, forum *humanum* vero forum *soli*, seu *externum* nuncupatur. Scilicet summa Dei sapientia vti omnes actiones nostras, ita et interna animi cogitata distinctissime intelligit, et dimititur: ast fallax saepe est hominum iudicium, neque occultos animi recessus pertingit; unde consequitur, vt in foro diuino innumera imputentur facta, quae omnem hominum cognitionem aestimationemque effundint.

**CXCVIII.** Saepe forum internum fori conscientiae, seu rationis venit nomine, quod quam vim habeat operae pretium est explanare. Nempe tam facultas, qua quisque est instructus, de propriarum actionum honestate, vel turpitudine, ratiocinandi, quam possimum ipsa huiusmodi ratiocinatio, *Conscientia moralis* dicitur; quem vero rerum nexus perspiciendi vis vobis tributa sit a supremo Numinе, & ideo vox rationis pro voce Dei habeatur: mirum non est, forum internum diuinumque, et forum conscientiae seu rationis promiscue usurpari. Ex quibus impia refellitur illorum opinio, qui inanem putant esse conscientiae ideam, eamque insulso vulgi iudicio affignant.

**CVCIX.**

**CXCIX.** Tot autem existunt partitiones conscientiae, quot sunt indicii et actionum: quae enim de actionibus suscipiendis instituitur ratiocinatio, conscientia antecedens, quae de actionibus peractis, conscientia subsequens appellatur; deinde conscientia antecedens duas habet subiectas formas, quarum altera *theoretica* est, seu contemplativa, si in bonitate, vel malitia actionis simpliciter versetur, altera *practica*, seu praceptiva, si actionem perpetrandam esse vel omittendam simul prouintiet. Denique ex factis legi consentaneis conscientia subsequens bona atque tranquilla, ex factis vero legi dissentaneis mala mordensque emergit.

**CC.** Porro quod supra obseruatum est, ratiocinationem imputando rectam esse, vel errantem, certam, vel incertam, probabilem, improbabilem, vel dubiam, id quoque ad conscientiam trahi, atque inde declarari omne potest. Nam etiam legis vel facti proprii idea iam vera est, iam falsa, deinceps evidens, aut opinabilis, atquae haec postrema nunc ad veritatem propendet magis, nunc ad falsitatem. Ex his autem satis patere arbitror, non omnes conscientiae partes subesse imputationi, sed illas solum, quae actiones iam susceptas consecrantur; quamdui enim homo actionem suscipiendam perlustrat, nondum sibi aliquid imputare intelligitur, sed demum ubi factum iam perpetratum, eiusque consecutiones libero suomet ipsius arbitrio attribuit.

**CCI.** Quae recta est conscientia, comparat actiones cum vera lege, atque adeo voluntatem legislatoris eloquitur; itaque non est dubitandum quin illius impulsu sequi omnino teneamus; ast si iudicium actionis falsum sit, quantum id vim habeat ad obligationem, disputatur. Imprimis autem facile concedent omnes, neminem, quod falso praceptum esse putet, omittere, aut quod falso iudicet esse prohibitum, facere oportere. Etsi enim factum legii, quae non est, nequeat repugnare, eatenus tamen quis peccat, quod peccandi

**habeat voluntatem, et quantum in ipso est, a legis violatione haud abhorreat**

**CCII.** Grauior autem est inter Doctores contentio de conscientia, quae turpe quod est, praecipi, velquod praeceptum est, prohiberi opinatur. Tunc enim aut falsae quis obtemperat conscientiae, et legem migrat, quae nos bona iubet facere, et omittere mala; aut agit contra conscientiam, et itidem peccat, quia animum legis violandae, atque conatum prodit. Inde vero efficiunt, ut huiusmodi homini necessitas peccandi semper imposita esse videatur; at salua res est: is enim, cui errore obiicitur ineuitabilis, culpa vacat, et imputatione, qui vero in errore versatur euitabili, in eius est arbitrio positum errorem deponere, et ita se ab hypothetica tantum peccandi necessitate liberare.

**CCIII.** Quoniam qui periculum adit peccandi, contra legem committit; consequens est, vt qui dubitat, an actio praecepta sit, vel permissa, illam suscipere, qui autem dubitat, an actio prohibita sit, vel permessa, ab eadem abstinere teneatur. Si enim faciat, quod ambigit, an sit illicitum, aut id omittat, ad quod faciendum anceps est, an non fortassis obligetur, iam apparet, eum non penitus effugere legis transgressionem, suamque cupiditatem virtuti anteferre. At si ea obueniat species, vt de actione, an sit praecepta, vel prohibita, dubium oriatur, haec ob eandem causam interea erit suspendenda, dandaque opera, vt dubio quantocius sublato, illam, quae fane rationi magis consentanea videbitur, sententiam amplectamur.

**CCIV.** Non tamen manifesto semper, atque euidenti iudicio agendum est, sed si nihil certi haberi possit, satis vtiique fuerit, id quod probabile est et verisimile, consectari, ne secus eos saepissime nihil agere oporteat, qui frustra quaesiverunt certiora. At inquisitum tamen habere dubitationem, donec explorata sit veritas, et porro praestare, actionem suspendere, quam periculum peccandi subire. Enim uero dubia conscientia

tia non modo rationes iudicat esse utrinque eiusdem ponderis, sed etiam paulo momento ita hue illuc impellitur, vt qualis in partem se vertat, plane non habeat: ast conscientia probabilis alterutri contractionis partiam adsentitur, quod rebus mature consideratis vnum potius, quam alterum eligendum esse videatur. Quare qui omni, quo potest studio, veritatem investigat, et si dein certa cognitione destituatur, is tamen ineuitabilis erroris actor nequit declarari.

**CCV.** Vbi vero conscientia minus probabilis confligit cum probabiliore, atque eadem actio ex graibus quidem momentis licita, re tamen diligenter persensa maiori cum probabilitate illicita esse indicatur, absurdum utique foret iudicio minus verisimili adhaerere. Praeterquam quod enim nos progredi semper oporteat in via ad veritatem, finique intellectus aduersetur, retrorsum cedere, fieri etiam non potest, vt in eo statu dubitatio de facti turpitudine deponatur. Peccaret igitur opinionem sibi ipsi minus probabilem amplexus, quia non modo id, quod ambigit, an rectum sit, faceret, sed etiam videns meliora probansque nihilominus sequi deteriora, et ita resistere conscientiae sustineret

**CCVI.** Sed nec magis voluntati bonum, quam intellectui verum pro fine positum esse constat. Quemadmodum igitur minus bonum in conflictu cum bono maiori sit comparative malum, sic quod minus probabile est, quando cum probabiliori opinione comparatur, amittere probabilitatem necesse est. Quis enim illud probabile amplius esse dixerit, quod iam a veritate magis recedere, quam ad illam accedere compertum est. Et quis propriae cognitionis defectum obtentu naturalis imbecillitatis excusare auderet, siquidem lumen praeluentis sibi clariori lumen obscurius anteposuit. Denique sicuti adulterinam corruptamque esse liberam quisque agnosceret, in qua pondus leuius praeponderaret grauiori, ita falsam spuriamque esse conscientiam

tiam fateri oportet, quam facta momentorum conten-  
tione non fortiora ad agendum flectunt, sed debi-  
liora.

CCVII. Nunc quibus argumentis oppositam defen-  
dant sententiam, videamus. Aiunt nimirum I. opinio-  
nem, quam non constat esse falsam, utique sequi nos  
licere. Inde autem de iudicii falsitate non constare,  
quod contrarium probabilius videatur; quin imo II.  
tamdiu durare dicunt libertatem moralem, donec fuerit  
legibus circumscripta: III. legem vero intelligi nullam  
absque sufficiente promulgatione, quae sane deficit,  
quando probabiliter, seu graui ex fundamento de illius  
existentia dubitatur. Addunt IV. semper in dubiis pree-  
ferenda esse benigniora, nec V. intollerabile illud  
onus imponendum conscientiis, ut in fortiores agen-  
di ratione perpetuo inquirere, easdem librare, dein  
VI. quod tutius est, amplecti teneantur.

CCVIII. Enimvero I. et si opinio, quae videtur  
minus probabilis absolute & eudenter falsa dici neque-  
at; quando tamen comparatur cum probabiliore, ad  
falsitatem accedit magis, & in eo statu sine peccandi  
periculo probari amplius non potest. II. Nec ideo quid  
quam detrahitur libertati morali, quae ad actiones aequa-  
lis bonitatis tantum pertinet, nunquam tamen omnem  
agendi regulam excludit. Qua fronte autem is legem  
sibi non esse promulgatam contendet, qui eius existen-  
tiā affirmandam potius, quam negandam ipsemit con-  
fitetur? quod si in re dubia, quam patria utrinque mo-  
menta efficiunt, actionem veluti permisam suscipere  
minime licet, quomodo id, quod probabilius prohibi-  
tum esse iudicatur, facere licebit?

CCIX. Et quanquam IV. in dubiis preeferenda  
esse benigniora facile concedamus, hoc tamen eam vim  
habet, ut legem dubiam despiceret, & pro nihilo pu-  
tare sit permissum sed ne quis iura ambigua pro cer-  
tis sumere, atque eatenus vel aliquem poena afficeret,  
vel actum quendam irritare imoliatur; vnde satis mani-  
festum

festum est, adductum iuris axioma ad coercendam agendi licentiam, non vero ad vincula legum relaxanda pertinere. Si autem V. in legem pro viribus inquirere nimium onus esse judicetur, nulla iam erit tam crassa ignorantia, quae hoc praetextu non possit excusari. Certum VI. quum iudicium probabilis esse non possit, quin etiam tutius sit a falsitate, perpetui profecto atque inaneis iniicerentur scrupuli conscientiis, si quis opinionem sectari deberet minus probabilem, quod iljam a defectu rectitudinis noscit esse tutionem.

CCX. Postremum est, vt quae dormiens sit conscientia, quae *expergefacta*, videamus. Scilicet, vti in somno nullus est ratiociniis locus, ita conscientia eorum dormitare dicitur, qui, quum inserviant affectibus, et toti a sensibus pendeant, ac imaginatione, curas et cogitationes in actionum honestatem, aut turpitudinem haud defigunt. Quoniam vero mala cum factis necessario copulata peccantem plerumque pungunt, mordentque: inde fit, conscientia soleat saepius evigilare, donec longa peccandi consuetudine occalescat, et instar carnis cauterio vistae sensus omnis stupore opprimatur.

## C A P V T VI.

### *De iuris naturalis partibus atque usu.*

CCXI. Postquam imputationis & conscientiae doctrinam satis prosecuti sumus, proximum est, vt de variis, quibus ius naturae constat partibus, deque eiusdem praestabilitate atque usu videamus. Noua hic nimirum se offert iuris significatio, quae cum obligationum et legum complexum seu systema, tum ipsam aequi boni artem designat. Atque haec ars est, quae quantenus scientia cernitur & actione, vocatur *Iurisprudentia*, nec inconcinne definitur: *Habitus obligationes, leges, et iura demonstrandi, iisque accommodandi species*